

VERSION DE VALIDATION
 PÉTRONE, *Satiricon* (*Satiricon*), 62
 Gare au loup-garou !

Au sein d'une longue section du Satiricon souvent nommée « le banquet de Trimalcion », l'hôte donne la parole à l'un de ses invités, Nicéros. Ce dernier se met alors à raconter la drôle d'histoire qui lui est arrivée dans un cimetière : lorsqu'il était encore esclave, il a profité d'une absence de son maître pour aller voir Mélissa, qui est l'épouse d'un cabaretier et dont il est tombé amoureux. Afin de faire le chemin plus sereinement, il persuade un hôte de son maître Gaius de l'accompagner.

[62] (1) « Forte dominus Capuae exierat ad scruta scita expedienda. (2) Nactus ego occasionem persuadeo hospitem nostrum ut mecum ad quintum miliarium¹ ueniat. Erat autem miles, fortis tanquam Orcus². (3) Apoculamus nos circa gallicinia ; luna lucebat tanquam meridie. (4) Venimus inter monimenta : homo meus coepit ad stelas iter facere ; sedeo ego cantabundus et stelas numero. (5) Deinde, ut respexi ad comitem, ille exuit se et omnia uestimenta secundum uiam posuit. Mihi anima in naso esse !³ Stabam tanquam mortuus. (6) At ille circumminxit uestimenta sua et subito lupo factus est. Nolite me iocari putare ! Vt mentiar nullius patrimonium tanti facio. (7) Sed, quod coeperam dicere, postquam lupo factus est, ululare coepit et in siluas fugit. (8) Ego primitus nesciebam ubi essem ; deinde accessi ut uestimenta eius tollerem : illa autem lapidea facta sunt. Qui mori timore nisi ego ? (9) Gladium tamen strinxi et in tota uia umbras cecidi, donec ad uillam amicae meae peruenirem. (10) Vt larua intraui, paene animam ebulliui, sudor mihi per bifurcum⁴ uolabat, oculi mortui ; uix unquam reffectus sum. (11) Melissa mea mirari coepit quod tam sero ambulare et : « Si ante, inquit, uenisses, saltem nobis adiutasses ; lupo enim uillam intrauit et omnia pecora tanquam lanius sanguinem illis misit⁵. Nec tamen derisit, etiamsi fugit ; seruus enim noster lancea collum eius traiecit. » (12) Haec ut audiui, operire oculos amplius non potui, sed luce clara Gaii nostri domum fugi tanquam copo compilatus ; et postquam ueni in illum locum in quo lapidea uestimenta erant facta, nihil inueni nisi sanguinem. (13) Vt uero domum ueni, iacebat miles meus in lecto, tanquam bouis, et collum illius medicus curabat. Intellexi illum uersipellem esse, nec postea cum illo panem gustare potui, non si me occidisses. (14) Viderint quid de hoc alii exopinissent ; ego si mentior, genios uestros iratos habeam ! »

(279 mots)

¹ *Ad quintum miliarium* : « sur à peu près cinq milles ».

² Orcus est un monstre des enfers, souvent assimilé au dieu Pluton ou encore aux enfers eux-mêmes. C'est peut-être ce mot qui a donné le substantif *ogre* en français.

³ Les Anciens considéraient que l'âme (c'est-à-dire le souffle vital) sortait par le nez lorsque l'on mourait.

⁴ Il s'agit de... l'entrefesse !

⁵ *Sanguinem alicui mittere*, litt. « faire couler le sang de qqn », d'où « saigner qqn ». Avec une anacoluthie, *illis* reprend *omnia pecora*.